



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Boeckh - Specimen emendationum in Pindari
Carmina - 1810


GP75
33

WIDENER LIBRARY



HX JA9J L

Gp 75.333.5



NATALITIA OCTOGESIMA TERTIA
AUGUSTI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
CAROLI FRIDERICI
MAGNI DUCIS BADARUM
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
LAETANTI PATRIAE SACRA
RITE PIQUE CELEBRAT
DIE XXII. NOVEMBRIS
SIMULQUE PRAEMIA
COMMISSIONIBUS VICTRICIBUS DECRETA
ET NOVAS QUAESTIONES PROPNIT
ACADEMIA HEIDELBERGENSIS.

IN EST. SPECIMEN EMENDATIONUM IN PINDARI CARMINA.

HEIDELBERGAE MDCCCX.

TPIS IOANN. MICH. GUTMANNI, ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



Gp 75.375

Gp 75.333.5

v

1027

Nihil litterarum incremento magis obest, quam quod nonnullae res plerisque ita adornatae perfectaeque videntur esse, ut neque melius inveniri, neque plenius tractari, neque politius scribi aut dici queant. Quodsi quid prorsus exploratum firmissimeque stabilitum putetur, minuuntur studia hominum, retunditur mentis acies: quique, si dubitassent, in veritatis investigatione strenuam operam posituri, et ingenii vires exercitatione corroboraturi fuissent, ii nunc inertes ingloriam vitam agunt; litterae vero, inter discordias eruditorum saepe florentissimae, compressis eorum contentionibus turpi otio consenescent, quemadmodum magnas civitates longa pace tristius dilabi videas, quam atrocissimis proeliis infractas. Sed eam rem quamquam in plurimis doctrinis cernes, tamen in iis deprehendes potissimum, in quibus partim ob vetustatem famaeque aliquam constantiam multa creduntur, partim ex tenuibus indiciis maximarum rerum rationes deducendae sunt: inter quas quum antiquitatis studia non referre nemo possit vel mediocriter iis imbutus, suspiciosum oportet esse, qui

IV

operae pretium facere in iis velit, nec quidquam ob praestantis cuiusdam viri auctoritatem temere probare. Singulis hominibus, nisi de parta eruditionis laude deiici volent, numquam subsistendum, sed continuo ardore progrediendum erit, ne intermissione attritis viribus paullatim retro labantur: artium ipsarum, quas illi tractant, diversam naturam esse censes? Immo quantum artes praestantiores sunt quam singuli artifices, quum nonnisi multorum flagrantissima aemulatione ad aliquam perfectionem adduci, numquam unius animo teneri, unius opera absolvi queant, sed per praestantissima ingenia sparsae quodammodo ac divisae sint: tanto magis alter alterum in iis promovendis superare debet, neque, ut ipsius negligentia detrimentum capiant, committere: quippe hae quoque, quamprimum proficere desierint, magno impetu in peius ferantur, necesse est. Sed artium et doctrinarum terminos quis ponere ausit? quis immortalem auram limitibus actis coercere? quis humani animi immensitatem ex suae scientiae modulo existimare? Nam noster animus tot praeclaris dotibus insignis, eo quoque excellit ceteris animalibus, quod horum indolem natura angustis finibus circumscripsit, quos egredi non liceret: ille vastus, aeternus, divinus, infinitate quadam ipsa definitur. Quis igitur sciet, quousque in artibus et doctrinis progredi liceat? quis perfectam abs quoquam ulterius rei tractationem contendet? Nonne potius nihil perfectum, affecta omnia confiteare? Haud sane absurdum est magna nomina revereri: etiam laudis aliquid huic verecundiae, neque iniuria, tribui solet: modo ut veritati ius constet, neve

ultra valeat mos ille, quam ad reprimenda immodesta et temeraria iudicia. Igitur qui docemus, vos, qui nobis operam datis, non idcirco docemus, ut in ea, quae acceperitis, iurare cogamus, nostrisque verbis tanquam vinculis impediti, nobis vosmet penitus addicatis et consecretis; sed ut nostra disciplina eruditi atque exculi liberalius pertractare litteras discatis, quas vestris ipsi ingeniis olim ornetis, amplificetis, emendetis, ipsosque praeceptores doctrinae copia et iudicii subtilitate superetis. Hac re aluntur artes et gliscunt: hac re veritas promovetur, errores pelluntur. Quid autem dicetis praeceptorem, sive voce sive scriptis usum, qui, quidquid discipulus invenerit, ad se auctorem revocandum arbitretur? qui aegre ferat, quod sibi a discipulo discendum sit? qui eius placita relinquenti succenseat? Nae istum feneratoria potius vel cauponia indole, quam ea, quae doctum decet, instructum iudicabitur. Sed haec quum nulla aetas non senserit, quid commemorem nostram? quae inter tot publicae privataeque vitae ruinas ac rei litterariae calamitates haud pauca etiam eximia protulit, neque in uno genere patefecit, quantum artes provehantur, ubi spreta priorum hominum auctoritate pro virili quisque parte litteris consulere annitatur. Vidimus enim nostris temporibus universam fere studiorum faciem immutatam: quae olim certa, in dubitationem adducta: quae dubia, nunc explorata: quae falsa prius, ea nunc vera, quae vera, falsa habentur. Atque ut largiar, congerenda materiae mole pristinum aevum nostro praestitisse, tamen hac aetate affirmaverim pleraque et melius digesta et luculentius di-

• stincta et elegantius ornata esse: ac si non omnia perfecta sunt, certe hoc quoque opportunum est, quod multa nobis deesse, multa utilia obscurari, multa prava perversaque denuo nasci haud pauci intelligunt.

At sunt fortasse, qui quaerant, quid ego dignum tanto hiatu sim allaturus. Profecto nihil magnopere: neque enim, si vel maxime ingenio valerem, locus hic esset, ubi in ampliora litterarum spatia evagarer. Quidni fatear? Diutius me, quam fortasse oportebat, tenuit gravitate sua illa, in quam incidi, cogitatio, quamquam neque a consilio huius scriptio- nis, civium academicorum studiis incitandis destinatae, neque abs rei, quam tractaturus sum, ratione prorsus aliena: erit enim saltem, unde excusationem petam, si in auctore egregiorum virorum opera expolito pluscula nostris laboribus relicta esse dixerō.

Pindari carmina cum Homero, Xenophonte, aliisque remotissimae antiquitatis scriptoribus integerrima ad nos pervenisse vulgo creduntur. Quae res tantum abest, ut vera habenda sit, ut quovis pignore contendam, nullam fere reperiri paginam, quin uno sit vel pluribus mendis inquinata. Quot enim vitia una metrorum ignoratio peperit, quae Heynius recte iudicat ne Alexandrinis quidem grammaticis fuisse cognita; qui si ea mediocriter tenuissent, fieri non potuisset, ut ipse Aristarchus Pyth. III, 25. in fine trimetri dactylici catalectici contra leges artis pro spondeo *πρότερον* re-

scriberet *πρωτό*. Omnino magnam labem Pindarus traxit ex imperita criticorum interpolatione, antequam textus typis excuderetur; multo minorem ex librariorum oscitatione in his carminibus describendis satis diligentium; postremo aliquam etiam ex recentiorum editorum correctione, qui quum multa restituerent egregie, nescio an plura corruperint: id quod de Ceporino et Erasmo Schmidio inprimis dictum volo. Qua de re quum ante Godofredi Hermanni metrica inventa iudicari non posset, ille magnam partem depravorum locorum primus indicavit, alios nobis investigandos reliquit. Nempe plurimum ad emendandum Pindarum nobis profuit diligens librorum manuscriptorum usus, quos Pindari editores magis, quam par est, neglexerunt, quod nullius fere pretii esse perperam iis videbantur: ego vero cum intellexissem, inexpectatam inde salutem poetae afferri posse, non modo librorum ab aliis collatorum varias lectiones impensius excussi, sed in novis copiis conquirendis neque operae nec sumptibus pepercii, et laetor, doctorum benignissimis et promptissimisque studiis adiuto non defuisse eventum. Etenim praeter editiones Aldinam et Romanam, ex scriptis codicibus expressas, praeter ternos Palatinos ab Erasmo Schmidio, quinque Bodleianos ab Oxoniensibus, ac Cizensem et Lipsiensem ab Hermanno collatos, usus sum codice Gottingensi, cuius egregiae varietates excerptae in *Biblioth. philol. Lips.* 1779, 1780. Vol. I, II emendando textui nondum constanter adhibitae sunt; praeterea binis Moscoviensiis libris, quorum alter bibliothecae Georgiae Augustae adscriptus, alter a Christ.

Frid. Matthaei in Heynii usum collatus est; deinde variis lectionibus fragmenti bibliothecae Cygnaeae a praestantissimo Martyni-Laguna accuratissime collatae, et libri Hafnien-sis, a B. G. Niebuhr, nunc Potentiss. Borussiae Regi a consiliis reipublicae, diligenter inspecti, postremo septem codicum Marcianorum, quos vir doctissimus, Iac. Morellius, ad Aldinam editionem, sed tantum usque finem primae Olympicae odae contulit; quas quidem omnes lectiones liberalis-simi Heynii debeo beneficio. Porro ipse perscrutatus sum li-brum Guelferbytanum, ab humanissimo bibliothecae praefecto, Ern. Theod. Langero ad me missum: Leidenses vero libros duos Ge. Heinr. Moser, auditor olim dilectissimus, Parisinos tres iuvenis doctus et accuratus, L. A. Schickardt, Suevus, me petente evolverunt: Augustanis olim, nunc Monacensibus codicibus, uti licuit quinque, quorum lectiones maximam par-tem suppeditavit Frid. Iacobsius, amicus obsequentissimus meique amantissimus: unius tamen varietates negligentius eno-tatas iam Dav. Hoeschelius cum Er. Schmidio, alterius Reis-kius cum Heynio communicaverant: alius accurate factam collationem God. Hermanno acceptam refero. Postremo in bibliotheca Rhedigeriana Vratislaviensi duos Pindari libros servari compereram, quorum alterum in meum usum contu-lit Schummelius, meritissimus eius bibliothecae praefectus; alterius foedissime scripti specimen idem misit, ex quo vix dignum esse cognovi, qui comparetur. His igitur viris, qui tanto et mei et litterarum amore votis meis satisfecerunt, et nunc gratias ago quam maximas, et olim agam alio eoque

magis conspicuo loco: simulque eos, qui adhuc ineditis copiis instructi sunt, ex quibus aliquid utilitatis ad poetae textum constituendum redundare possit, vehementer rogo, si non mea, certe Pindari causa, quamprimum liceat, eius mihi copiam faciant.

His igitur codicum variis lectionibus comparatis facile erat animadvertere non ex uno eos fonte fluxisse: quapropter nihil antiquius habui, quam ut certis indiciis eos in classes redigerem. Quod agitati sensim apparuit, quantas Pindarus mutationes passus sit, quantumque ea, quae nunc habetur, scriptura differat a genuina. Primum enim oblitterata grammaticorum temporibus universa lyricorum metrorum scientia versus mature perturbati sunt, admissio toties inepto more integra vocabula inter duos versus distrahendi: quod quam temere fiat, in commendatione de metris Pindari primus demonstravi: necdum id factum poenitet: dum rei veritatem agnoscant, alii inventionis honorem sibi scilicet vindicent: equidem consolabor me Hermannii iudicio, qui in praefatione ad Enripidis Herculem furem nuper editam „Licebit, opinor, inquit, Boeckhium huius rei auctorem citare, qui non promiserit se de ea re disputaturum, sed disputaverit: quum praesertim nihil causae sit, quare quis alium meliora allaturum fuisse coniciat.“ Nec locos invenio, qui nostris rationibus sint contrarii, nisi manifeste corruptos: ex quibus quosdam nondum correctos exempli causa apponam: alios satius erit in aliud tempus differre. Primus est Ol. VI, 87.

ὡς ἄρα μάνυε· τοὶ δ' οὐτ' ἂν ἀκούσαι
 οὐτ' ἰδεῖν εὐχοντο πεμπταῖον γεγεναμένον. ἀλλ' ἐγ-
 κέκρυπτο γὰρ χοῖνω βατρία τ' ἐν ἀπειράτω.

Fractum hic verbum ἐγκέκρυπτο vides: peius etiam Pal. C. Par. A. Gott. habent ἐγκρύπτετο. Disiungendum est ἐν κέκρυπτο, ἐν autem per hyperbaton ante κέκρυπτο positum pertinet ad χοῖνω. Κεκρύφθαι ἐν χοῖνω dictum est ut Ol. VII, 105. ἀλμυροῖς δ' ἐν βένδεσιν νᾶσον κεκρύφθαι. Εἶν ita in fine versus collocatum reperitur Eurip. Heraclid. 92:

οἷδ' εἰσακούσας καὶ πρὶν· ἀλλὰ τοῦ ποτ' ἐν
 χερὶ σᾶ κομίζεις νεοτροφεῖς κόρους, Φρέσσον.

Hyperbaton simile est Ol. II, 51. λέγοντι δ' ἐν καὶ Θαλάσσαι, VII, 47. ὅτι νῦν ἐν καὶ τελευτᾷ Φέρτατον ἀνδρὶ τυχεῖν, ut ibi edendum ex Ald. Bodl. C. γ. Ciz. Lips. Leid. A. B. Par. A. Ang. B. Vratisl. Gott. Guelph. Mosc. A. B. Nec aliter corrigendum est Ol. VIII, 20.

Τιμόθευες, ὕμμε δὲ κλάσασεν πότμος·
 Ζηλὶ γελεθλίω· ὃν μὲν ἐν Νεμέᾳ πρόφατον,
 Ἀλκιμέδοντα δὲ παρὲς Κρόνου λόφω
 θῆκεν Ὀλυμπιονίκαν.

ubi primum lege δ' ἐκλάσασεν ex Ald. Mosc. A. deinde ὃν μὲν neque sensui neque versui satisfacit, et invenitur in libris paucioribus: Vratisl. Aug. B. Mosc. A. Guelph. a manu secunda cum Aldo exhibent ὃς σε μὲν, Rom. Par. A. Gott. σὲ μὲν. Inde Bothius coniciebat ὃς μὲν σ' ἐν Νεμέᾳ πρόφατον, in quo tamen vocula μὲν alieno loco collocata est. Legendum potius per hyperbaton praepositionis ἐν:

Ζηνὶ γενεθλίῳ, ὅς σ' ἐν μὲν Νεμέῃ πρόφατον.
 Nec minus bene Pyth. X, 91. Hermannus correxit ἐν καὶ παλαιτέροις.

Vocabulorum fractionem habes etiam Ol. IX, 27, 28.

θάλλει δ' ἀρεταῖς ἴ-
 σον τε Κασταλία. παρ' Ἄλ-
 φειοῦ τε ῥέεθρον.

et tamen vs. 28. finitur numerus, quum ultima versus syllaba, quae in ceteris strophis longa est, brevis inveniatur str. 3. ant. 3. ant. 4. hiatus autem sit str. 4. Item vs. 27. finis numeri ponendus est, quum neque obsit ulla vocis fractio et hiatus occurrat str. 1. qui neque excusari fure potest neque probabili emendatione tolli. Et vs. 28. quidem fractio vocabuli facile evitatur scribendo *παρὰ* et Ἄλφειοῦ, ita ut Ἄλφειοῦ contrahatur in dissyllabum, ut Νεμέῃ, Πυθίῃ, χρύσεος, γυνῶν totque alia, de quibus v. Hermann. de dial. Pind. p. X. Et Ἄλφειοῦ praestant Gott. Par. A. Aug. B. Neque offendit *παρὰ* in fine versus positum: plane enim geminum Ol. XIII, 160. καὶ πᾶσαν κατὰ Ἑλλάδ' εὐρήσεις ἐρευνῶν. Sed quid faciendum priori versu? Legebatur olim ἴσον καὶ Κασταλία, a Schmidio illatum, unde tamen nihil proficias. Rom. Vratisl. ἀρεταῖς ἴσων τε: alii libri ἴσων aut ἴσων, ad quod in Mosc. B. hoc extat scholium: δύο σσ εἰς τὸ ἴσων χρὴ γράφειν, ἵν' αἴη τὸ ἰ μακρόν. ἐνθα δὲ ἔστιν ἐν, βραχὺ ἔστιν. In hoc autem codice recentiorum criticorum opera vehementer interpolato eiusmodi scholium correctionis fere indicium esse solet; ideoque ἴσων coniecturae deberi arbitror ex metro non intellecto natae, et for-

tasse ex Ol. II, 109. petita, praesertim quum ἴσον pro ἴσον tantum in interpolatis libris scribatur, ut vs. 97 ἴσσανυμον ἔμμεν est in Rom. Mosc. B. ignorantibus ibi Graeculis brevem syllabam locum habere. Quid multa? Ne dubites rescribere:

θάλλει δ' ἀρεταῖσιν
 ἐν τε Κασταλία παρὰ
 Ἄλφειῦ τε ῥέεθρον.

ἐν Κασταλία idem est quod ἐπὶ Κασταλία Ol. VII, 31. Nem. VI, 64. XI, 30. Ita saepe reperitur ἐν Νεμέα, hoc est, ἐπὶ Νεμέα, ut ἡ ἐν Κερύνθῳ μάχη. V. Wolf. ad Demosth. adv. Lept. p. 275. Eam vero lectionem agnoscit, ni fallor, Scholiastes vetus, apud quem haec scripta sunt: βρύει δὲ καὶ αὐξεται ταῖς ἀρεταῖς τῆς νίκης ἡ Ὀποῦς, ἐν τε τῇ Κασταλία πηγῇ, ἐν Πυθαῖ, καὶ ἐν ταῖς τοῦ Ἄλφειοῦ ποταμοῦ, τουτέστι ἐν τῇ Ὀλυμπίᾳ. Quodsi cum vulgata retineas Κασταλία, tamen ἐν supplendum erit, propterea quod a praepositione παρὰ accusativum Ἄλφειῦ ῥέεθρον iunctum habente non potest dativus Κασταλία pendere.

Ol. X, extr. legitur:

ἄρα τε κεκραμένον, ἅ παρ' ἅ-
 ναιδέα Γανυμήδει τὸν πότμον ἄλαλκε σὺν Κυπρογενεῖ.

Metrum horum versuum ita descripsert olim Hermannus:

- 1 0 0 - 0 0 1 0 0 0 - 0 0 0 -
 1 0 0 0 - 0 - 1 0 0 0

quae distributio fractione verborum inde nata refellitur. Neque tamen unus versus ex his tam variis pedibus apte concinnari potest, ideoque non dubito, quin metrum sit hoc:

- 1 0 0 - 0 0 - 0 0
 0 1 0 0 0 0 - 1 0 0 0 1 0 - 1 0 0 0

Prior versus est logaoedicus dactylicus catalecticus cum anacrusi longa, ut in eadem epodo vs. 6.

- 1 0 0 - 0 0

Ἴλα φερέτω χάρην.

Nulla autem obest fractio; hiatus nunc quidem nullus invenitur; videndum tamen, num epod. 3. olim fuerit, ubi quum vulgo scribatur,

χείρασι ποσὶν τε καὶ ἄρμασιν,
 ἀγώνιον ἐν δόξῃ θέμενος εὐχος, ἔργῳ καθελεῖν,

in libris ab interpolatione purissimis Ald. Par. A. Gott. Pal. C. Mosc. A. credo et in aliis, exaratur ἄρματι, quod nemini fuisset in mentem venturum, nisi primitive obtinisset. Iam si versus recte ita describuntur, extrema ultima epodo lectio ἄ ποτ' ἀναιδέα vera esse nequit. Schmidius, qui primus intulit τὸν πότμον, quum omnes libri haberent θάνατον, correxit ἄ, τ' ἀναιδέα: quo probato aliter instituenda metri descriptio esset, nisi haec lectio dubia maxime videretur. Nam ἄ, τ' est ex libris minime genuinis Rom. Mosc. B. Lips. Guelph. Aug. A. Vratisl. contra Ald. Par. A. Aug. B. et Guelph. a manu secunda praebent ἄ ποτ' ἀναιδέα. Verum est hoc:

ἄρα τε κεκραμένον, ἄ ποτῶ
 ἀναιδέα Γανυμήδει πότμον ἄλαλκῆ σὺν Κυπρογενεῖ.

Quod, quum Hermannum per litteras consultarem, ipsi quoque placere comperi. Postremo Ol. XIV. init. primi versus sic legendi:

Καφισίων ἰδάτων λαχοῖσαν αἶτε
ναίετε καλλιπάλου ἔδραν,

et in antistropha,

νὶ ᾧ πύτνι Ἀγλαΐα Φιλησίμολπέ τ'
Εὐφροσύνα, θεῶν κρατίστου.

Pyth. IV, 376. nunc est verbi fractio:

ἡμῶν πλῆος ἄγαγεν. ἐς Φᾶσιν δ' ἔπειτ' ἐν-
ἤλυθον· ἐνθα κελαινάπασσε Κόλχοισιν βίαν.

Neque ἐνέρχομαι Graecum est: Heynii autem coniectura ἐνή-
λυθον non tollit difficultatem. Equidem relecta ea, quam in
commentatione de metris Pindari olim professus sum, sen-
tentia, conieci ἔπειτεν ἤλυθον, duce Aelio Dionysio ap. Eu-
stath. ad *Hiad.* Σ, p. 1215. 32. ed. Basil. ἰστέον. δὲ καὶ ὅτι ἐν-
τοῖς Αἰλίου Διονυσίου φέρεται καὶ ὡς Ἀττικὰ μὲν τὸ εἶτα καὶ ἔπει-
τα· τὸ δὲ εἶτεν, Φησί, καὶ ἔπειτεν Ἰακὰ. διὸ, Φησί, καὶ παρ' Ἡε-
ρόδοτῳ κείνται. De Herodoto cf. *Porti Lex. Ion.* Et diserte
hoc praebent Guelph. et Gott.; in hoc supra scripto ἔπει-
τα ab alia manu; Schol. ἔπειτ' ἤλυθον, Aug. C. ἐπι τόν. Post-
hac idem probatum inveni Hermanno de dial. Pind. p. XXI.
qui monet hanc vocem Phrynicho et Phavorino Atticos re-
spicientibus ἐχάτως βάρβαρον vocari, Pindarum tamen ea non
abstinuisse *Nem.* III, 94. ubi recte Pauwius, καὶ ἔπειτεν Δασκλή-
πιον, quamquam more suo a vero rursus recedens: et ita ibi
Par. A. B. Idem an *Nem.* III, 85. ὅλον δ' ἔπειτεν χρόνον sit re-
stituendum, dubito: sed manifeste reponendum *Isthm.* VII, 25.

κόμας ἔπειτ' ἄρ' ἀδυμελεῖ σὺν ὕμῳ,

ubi ἄρ' in solis *Ald. Par. B.* lectum maxime offendit, *Rom.*

autem, Par. C. et Schol. habent *ἔπειτ' ἐν*, addente Scholiasté: *περιττεύει δὲ ἦτοι ἢ ἐν πρόθεσις, ἢ ἢ σὺν· μιὰ γὰρ ἀρκεί.* Sed hic quoque Pauwius *ἔπειτεν* coniecerat.

Nem. X. 76. legitur:

*ἑμμάτων. νικαφορέαις γὰρ ὅσαις ἵπποτρόφον ἔστυ τὸ Πρό-
τοιο θάλησεν Κορίνθου τ' ἐν μυχοῖς, καὶ Κλεωναίων πρὸς ἀνδρῶν τετρακίς.*

Corrige,

*ἑμμάτων. νικαφορέαις γὰρ ἴσαις Πρότοιο τὸδ' ἵπποτρόφον
ἔστυ θάλησεν Κορίνθου τ' ἐν μυχοῖς, καὶ Κλεωναίων πρὸς ἀνδρῶν τετρακίς.*

Isthm. VI, 12. vulgo habetur:

*σπαῖρι, πορσαίνοντας Ὀλυμπῶ, Αἴγιναν κατα-
σπέδειν μελιφθόγγις αἰοδαῖς.*

Sed ibi lectionem *Αἴγιναν κατά σπέδειν* suppeditat Scholiastes. Tandem Isthm. VIII, 23. scribendum *ἀλλά μοι*, non offe-
dente enclitica *μοι* initio lyrici numeri in anacrusi quidem,
ut ibid. vs. 21. Nem. IV, 104.

Etiam si autem versuum ratio a veteribus melius perspe-
cta esset, tamen ipsa Pindarici sermonis difficultas non modo
a prosario, sed ab aliorum poetarum dicendi genere alienissi-
mi, largam vitiorum segetem proferre necesse erat. Accedit,
quod non pauci iique celeberrimi grammatici in Thebano vate
interpretando et emendando operam posuerunt, nec probabile
est nihil ab iis in vulgares libros propagatum esse: quin pas-
sim in scholiis Aristarchi, Aristodemi, eius discipuli, Asclepia-
dae, Chaeridis, Chrysippi, Didymi, Dionysii Phaselitae, alio-

rumque emendationes memorantur, quarum nonnullae etiam nunc in textu leguntur, aliae olim in quibusdam circumferabantur codicibus. Qui quidem grammatici quid in suis libris habuerint, ex veteribus imprimis scholiis cognoscas: atque iam tum librariorum vitii inquinatum poetam fuisse non est quod mirere: quamquam plurima decem primis post Christum seculis nata esse liquet errore librariorum, qui partim in scribendo laberentur, partim interpretamenta pro genuinis vocibus in textum immitterent. His autem mendis contaminati libri erant plurimi: sed in nonnullis alia praeterea accesserunt, de quibus ordine deinceps dicam.

Nempe Pindari libri neque omnes neque in toto opere ex uno manarunt fonte, sed quamquam recenti omnes aevo exarati tamen inter se diversissimi reperiuntur. Olympia omnium maxime novitiorum grammaticorum manus experta sunt, nonnihil etiam Pythia, longe rarius Nemea et Isthmia: et accidit, ut unus idemque codex plures, quod non solet, Pindari partes complectens, Olympia ex interpolato, Pythia ex puro ab interpolatione libro transcripta praebeat. Itaque Aldum in Olympiis ad genuinam Pindari scripturam maxime accedere animadverti, Romanam ab ea mirum quantum abhorrere: sed in Pythiis Aldus passim interpolationem redolet, Romana purior est quam in Olympiis, licet non omnino ab eiusmodi corruptione libera: cum Aldo vero in Olympiis potissimum conspirant codex Gottingensis, Cizensis, Moscoviensis prior, Parisinus primus, Augustanus secundus, Palati-

nis tertius; cum Romana autem Moscoviensis alter, Leidensis alter, Cygneus, Hafniensis: postremo ex utroque genere mixtos iudico Palatinos duos priores; Lipsiensem, Augustanum primum, Guelpherbytanum, Leidensem priorem, Vratislaviensem, plurimosque Bodleianorum. Iam vero potior familia cum Aldo maxime conspirans, etsi multa hos libros insederunt eaque nequissima menda, tamen a recentioribus Graeculis vitiata non est, et convenit fere cum antiquis scholiis, quae adscripta solent esse: altera vero eaque deterior familia istas tenet lectiones, quas scholia recentiorum sequuntur, et ab ipsis horum auctoribus recensita est; quae quidem recensio, quum librorum errores tolleret permultos, plures intulit novos, quam omnes priorum criticorum editiones, ex quibus hinc inde ductas esse etiam meliorum librorum lectiones, non negabit is, qui in hac re diligenter versatus sit. Attamen nisi prioris classis libri passim correcti ex interpolatis essent, multo forent praestantiores; sed et Aldus ceterique haud raro a meliore scriptura desciscunt, quamquam non omnes uno eodemque loco. Iam recentiorum scholia tantum ad Olympia pertinent: itaque in haec potissimum eorum, qui illa confecerunt, pravas coniecturas illatas videmus: neque tamen defuere, qui Pythia simili cura dignarentur: quodsi haec ex secundo codice Parisino expressa essent, non pauciores in iis interpolati loci reperirentur. Sed scholorum recentiorum auctores nominantur Manuel Moschopulus Cretensis, Thomas Magister, atque, ut praeteream Ioannem Tzetam, de quo Heynius in praefatione dixit, Demetrius Triclinius. Demetrie

cur tribuantur, causa est haec Romani editoris annotatio: Οἱ νομίσαντες τὰ χέλια ταῦτα Δημητρίου εἶναι τοῦ Τρικλινίου τούτου ἕνεκα οὕτως ὑπέλαβον. εὐρέθη γὰρ ἐν τινὶ τῶν κατ' ἡμῖν ἀντιγράφων ἐπισημείωσις οὕτω λέγουσα· Ἰστέον ὅτι τὰ γραφέντα περὶ τῶν κάλων ἐν ἀρχαῖς πάντων τῶν Ὀλυμπίων ἐπινικίων καὶ τοῦ πρώτου μῆνου τῶν Πυθίων παλαιὰ ἐστὶ, διαφθάρθη δὲ παρὰ τοῦ ἡμετέρου σοφιστοῦ ἢ τοῦ μυσταγωγοῦ κυροῦ Δημητρίου τοῦ Τρικλινίου. τὰ δὲ λοιπὰ τῶν Πυθίων ἐμετρήθη κατ' αὐτοῦ, πολλὰν τινῶν τῶν κατ' ἡμῶς σοφῶν εἰς τοῦτο αὐτῶν προτρέψαντων. καὶ ὅσα δὲ ἐν τῇ βίβλῳ ἐγράφη σχόλια σημειώσεις τινὰς ἔχοντα ἐν ταῖς τῶν λέξεων ἐναλλαγαῖς, ἃ καὶ σημείων τὰ διὰ μέλανος κεφάλαια ἔχουσι, καὶ τὰλλα τὰ κατ' ἄλλου τρόπον γραφέντα, καὶ ταῦτα τοῦ αὐτοῦ ἐστίν. Equidem a Triclinio credo aliquot tantum annotationes profectas esse, quae in illo, quem Calliergus dicit, libro inveniuntur, non omnes autem, quae in scholiis recentiorum leguntur: quin nonnullae eius animadversiones ne supersunt quidem, si reperta ab Iriarte in codice Matritensi p. 446. Triclinii fragmenta, ex eius in Pindarum scholiis, ut probabile est, fluxerunt: longe plurima a Moschopulo et Thoma conscripta sunt. Apparet hoc ex libro Moscoviensi secundo, in quo his scholiis praefixa est haec nota: Τοῦ σοφωτάτου κυρίου Θωμᾶ τοῦ Μαγίστρου καὶ τοῦ Μοσχοπούλου Κρητὸς Μανουὴλ χέλια ὅτι ἐνθάδε ἔχει ἀρχὴν. σημειώσεις τοῦ Μοσχοπούλου: quae verba edidit iam Heynius Praef. p.61. Continet autem codex praeter haec scholia nonnullis locis pleniora breves in margine annotationes, quibus praecipue eae, quae in textum receptae sunt, lectiones tamquam meliores prioribus laudantur:

hand pauca vero ob metrum et constructionem ab iisdem mutata esse indidem intelligitur. Neque alii scholiorum auctores vocantur in codicibus Augustano, Vindobonensi, Matritensi Reisero, Nesselio et Iriarte allatis a Fabricio Bibl. Gr. Vol. II, p. 67. edit. Harles. Ex quibus Matritensis liber tantum in decem priores Olympiorum odas scholia continet: neque ulterius pertinent in Hafniensi, in quo desinunt post decimi carminis metrorum expositionem; in eodem vero ad carmen quintum laudatur Moschopulus. Praeterea ii libri, qui scholia recentiora habent, a vita Pindari incipere solent, quae recensita Thomae Magistri opera est: *διωρθώθη δὲ κατὰ τοῦ σοφωτάτου Μαγίστρου*, dicit Hafn., nec multum discrepat Mosc. B. Quibus perpensis tota haec collectio a Thoma instituta et digesta videtur esse, cui post Moschopulum haec debetur textus recensio. Huc ducit et scholium ineditum ad Ol. VIII, 10. ubi in Mosc. B. adicitur: *Οὐ χρεὶ ἔνεται γράφειν οὐδὲ εὐσεβείας, ἀλλὰ πληρέονται καὶ εὐσεβέων καὶ λιταί. οὕτω γὰρ ἔχει πρὸς τε τὴν σύνταξιν καὶ τὸ μέτρον ὁρθῶς. οὐ μόνον δὲ ταῦτα ἀλλὰ καὶ πολλὰ ἕτερα ἐκαινοτομήθη τῷ σοφωτάτῳ Μοσχοπούλῳ κάμῳ, ὡς ἐξετάζωμ εὐρήσεις, ἀνοικείως ἔχοντα πρὸς τὸ μέτρον*

Neque vero in singulis lectionibus mutandis substituisse isti critici, sed dialecti quoque rationem in his carminibus perturbasse videntur. Nam quum Hermannus in egregia commentatione de hac re nuper edita accurate monstraret, magnam cerni dialecti varietatem quum in singulis carminibus, tum in maioribus illis quatuor operum partibus: ibi quidem

ad numerorum modorumque naturam diversarum formarum sonos a poeta accommodatos esse monuit: Olympioidum autem et Pythiorum, ceterarumque huius collectionis partium in quibusdam vocabulorum formis discrepantia unde orta sit, satius duxi reticere. Non alia autem eius rei causa est, quam editorum ante typorum inventionem libido in recensendo poeta nostro. Quum enim invaluisset opinio, quam etiam Gregorius Corinthus p. 5. sequitur, communi dialecto usum esse Pindarum, critici Doricas formas complures e manuscriptis sustulerunt, et inter eas praecipue Dorica participia primi activi aoristi, quae in Olympiis nusquam reperiuntur, nisi I, 127. *ἐλέαις* apud Gregorium, et III, 28. *πέσαις* a manu recenti in cod. Gott. ceteris locis omnes libri communes habent formas: nam quod II, 165. est *τανύσαις* et IX, 23. *αινήσαις*, non mirabere, ubi aliter instituta interpunctione optativos agnosces. Sed in Pythiorum codicibus Doricae formae multo sunt frequentiores: in Nemeis atque Isthmiis raro in ullo libro vulgarem deprehendes. Terminatio autem participii huius in *αις* haud dubie a Pindaro profecta est in omnibus carminibus: quippe ubicunque longa vocalis ante Σ orta est ex absorpta littera N, ibi Pindarus huic substituit vocalem I, ut *λέγονται λέγουσι λέγισι*, *τυχόντσα τυχοῦσα τυχαῖσα*, non autem *Χαιρικλοῖς*, sed *Χαιρικλοῦς* ex soluto *Χαιρικλόος*; unde Pyth. IV, 182. corrigendum ex Gott. Guelph Par. A. B. et Bodleianis. Iam quum *πέσαις* sit ex *πέσαις* sive *πέσαιςτε* *πέσαιςτος*, ut *αμᾶνς* *αμᾶνις*, postulabat constantia, ut poeta scriberet *πέσαις*. Idem utrum tantummodo *ων*, an certe lege etiam *μιν*

admiserit, utrum γλέφαρον, an βλέφαρον, an utrumque, et eiusmodi alia, non nunc consilium est pertractare.

Superest, ut addam exemplum manifestae interpolationis ex meliori librorum scriptura emendandae: quod petam ex Olympica ode decima tertia ab Hermanno Lydiis recte annumerata: in quas ob metri ignorationem non aliter quam in Aeolicas Graeculorum lascivia est maxime grassata. In ea igitur oda ultimos tres strophae versus vulgo deterius descriptos Hermannus ita distribuit:

ῡ 1 0 0 - 0 0 - - 1 0 0 ῡ

1 0 0 - - 1 0 -

1 0 - - 1 0 0 ῡ

Δίκη καὶ ὁμότροπος Εἰρήνη, ταμίαι
ἀνδράσι πλοῦτου χεῦσαι
παῖδες εὐβούλου Θέμτος.

Sed duo certe ultimi, ne vocabula frangerentur str. 3. 4. 5. ant. 5. erant coniungendi, ut metrum esset hoc:

ῡ 1 0 0 - 0 0 - - 1 0 0 ῡ

1 0 0 - - 1 0 - 1 0 - - 1' 0 0 ῡ

neque huic versuum descriptioni quidquam obest praeter fractam str. 4. voculam ὄπως; quam quidem difficultatem non tollit correctio ὄπως. At ὄπως non reperitur nisi in interpolatis libris: non interpolati, Ald. Gott. Par. A. Mosc. A. Aug. B. habent ὡς τέ οἱ. Iam poterat scribi:

κοιτάξατο νύκτ' ἀπὸ κείνου χεῖσιος· ὡς τ'
αὐτέ οἱ αὐτὰ Ζηνὸς ἐγγχεμεραίνου παῖς ἔπορευ.

Sed alia offerebatur difficultas str. 2. ubi haec versuum ratio postulabat ut cum vulgata legeretur:

πεντάθλων ἅμα σταδίου νικῶν δρόμον· οὐκ
ἀντεβόλησεν τῶν ἀνῆρ θνατὸς οὐπω τις πρότερον.

Iam οὐκ displicet haud uno nomine: nam ex vera Buttmani nostri animadversione, quam in Grammatica posuit, οὐκ in fine periodi contrariam sequitur regulam quam N paragogici appositio et neglectio: nempe ubi N negligitur, ibi ponitur K; ubi additur N, ibi K omittitur: etiam ante vocalem in fine periodi K non assumitur. Itaque quum ex probatissimorum criticorum sententia N ἐφελκυστικὸν in fine versuum, ut in periodorum exitu, etiam ante consonam apponatur, non οὐκ, sed οὐ debeat scribi in fine versus etiam ante vocalem. Sed ut concedam, spectata magis grammatica verborum coniunctione, quam metrico intervallo, οὐκ ferri posse: hoc quidem loco non placet interpunctio ante ultimam versus syllabam, neque praepositum οὐ ceteris verbis, licet hyperbaton, quale hoc est, sit usitatissimum. Ol. II, 15. καμίντες οἱ πολλὰ θυμῷ ἰσθὲν ἔχον οἴκημα ποταμοῦ. Ibid. 40. ἔπαθον αἰ μέγαρα, et 135. ὄρμοισι τῶν χέρας ἀναπλέκοντι καὶ κεφαλᾶς (ita enim haud dubie scribendum). Pyth. III, 156. λέγονται μὲν βροτῶν ὄλβον ἰπέριστατον οἷ χεῖν. Sed hoc quoque largiar; illud vero premam, verba τῶν οὐκ ἀντεβόλησεν οὐπω ἀνῆρ, non modo Pindavica, sed ne Graeca quidem esse: neque enim, quod vulgo putatur, duplices negationis particulae in Graeca lingua fortius negant; potius, ut apud Latinos, fortiter affirmant, vulgarisque regula de pluribus negandi particulis fortius negantibus restrictius tradenda

est de eo dicendi genere, ubi τῶ οὐ vel μὴ vel inde compositis particulis additur οὐδὲ vel μηδὲ vel inde composita οὐδεῖς, μηδεῖς, οὐδέπω, μηδέπω, οὐδέποτε, μηδέποτε aut alia similia, ut, οὐ γὰρ σ', οὐδέ, ξεῖνε, δαήμονι Φῶτι εἶσκω, et, οὐδεῖς ἀνθρώπων οὐδέπω οὐδὲν τοιοῦτον πεποίηκεν. Omnino ubicunque negatio repetitur nova quadam addita notione, cumlatur negatio, ut, οὐκ ἐγένετο, οὔτε Κάδμω οὔτε Πηλεΐ. Neque aliter Latini: *Nemo pe usquam quidem quidquam tale fecit, et, Non accisit hoc, neque in Peleo, neque in Cadmo*: Graeci tamen negatione utuntur crebriore quam Latini. Est haec perita animadversio docti viri in Annal. litt. Heidelberg. P. V, fasc. 3. a. 1808 p. 315. 316. quamquam locus, quem ille ibi ex Max. Tyr. Diss. XXII. et XXVI. correxit, Hom. Odyss. Γ, 28. aliam habet excusationem. V. censorem Homeri Wolfiani in Ephem. litt. Jen. a. 1809. num. 248. p. 167. Quapropter hic non οὔπω, sed οὐδέπω dicendum fuit, et οὐκ est adulterinum, quod abest codicibus non interpolatis Ald. Gott. Par. A. Mosc. A. Aug. B. In Guelph. fuit, sed deletum est: neque id agnoscunt vetera scholia: ἂν εὐτυχημάτων, τῶν τῆς διπλῆς υἱῆς, οὐδέπω πρότερον εὐτύχησεν ἀνὴρ; at recentiora habent: οὐκ ἐπέτυχεν οὐδαμῶς πρότερόν τις ἀνὴρ θνητὸς τούτων. Iam expulso isto οὐκ fulciendī versus causa in promptu erat corrigere: Δέξαι δὲ οἱ στεφάνων ἐγκώμιον τεθμόν, τὸν ἀγχι πεδίον ἐκ Πίσας, πεντάθλα ἅμα σταδίου νικῶντι δρόμον· ἀντεβόλησεν τῶν ἀνὴρ θνατὸς οὔπω τις πρότερον.

Eleganter νικῶντι dativo οἱ coniungitur in hac structura, et potest lectio mutata videri ab imperitioribus quodam, ut vs. 20. ὑπερελθόντων similiter transit in ὑπερελθούσιν: neque durus est dati-

rus νικῶντι post praegressum πεντάθλω ab alio verbo pendentem, ut Pyth. IV, 37. θεῶν ἀνέρι εἰδομένῳ γαῖαν δίδοντι ξέλινα πρῶταθεν Εὐφαιμος καταβάς δέξατο. Magnopere placebat haec coniectura, donec viderem singulas trop'ias hoc ipso loco interpolatas esse excepta prima. Ordiamur ab extrema. Ant 5. vulgo legitur ὄσα τε, Gott. Par. A, ὄσα τ', Ald. Aug. B. Mosc. A. ὄσα τ', adscita prima sequentis versus syllaba in praecedentem. Iam secundum lectionem genuinorum librorum sic intellexi constituendum esse metrum:

$\bar{\upsilon} \bar{\iota} \bar{\omicron} \bar{\omicron} - \bar{\omicron} \bar{\omicron} - - \bar{\iota} \bar{\omicron} \bar{\omicron} - \bar{\omicron} \bar{\omicron} - \bar{\upsilon}$
 $\bar{\iota} \bar{\omicron} - \bar{\iota} \bar{\omicron} - - \bar{\iota} \bar{\omicron} \bar{\omicron} \bar{\omicron}$

Similiter clauditur OL. VI, epod.

$\bar{\iota} \bar{\omicron} \bar{\omicron} - \bar{\omicron} \bar{\omicron} - - \bar{\iota} \bar{\omicron} \bar{\omicron} - \bar{\omicron} \bar{\omicron} \bar{\omicron}$
 $\bar{\iota} \bar{\omicron} - \bar{\iota} \bar{\omicron} - - \bar{\iota} \bar{\omicron} - - \bar{\iota} \bar{\omicron} - \bar{\upsilon}$

Cui rationi ne unius quidem obest vocabuli fractio: firmant autem eam plures interpunctiones. Itaque ant. 5. lege ex codicibus:

ἐν Ἀργεῖ θ' ὄσα καὶ ἐν Θήβαις ὄσα τ' Ἀρκὰς ἀνάσσαν
 μαρτυρήσει Λυκαίου Βωμὸς ἀναξ.

Ἐν pro vulgari ἀμφι, quod metricis originem debet, agnoscunt Ald. Aug. B. Mosc. A. cum Schol. vet. in Gottingensi vetus lectio deleta, et post lituram ἀμφ' est scriptum. Str. 5. ex codicibus correctis fluxit vulgata ἐξηκοντάκι γὰρ ἀμφοτέρωθεν γ' ἀδύγλωστος, sed Ald. Gott. Par. A. Mosc. A. Aug. B. Ciz. habent ἐξηκοντάκι δ' ἀμφοτέρωθεν. Hoc δὲ si pro particula δὴ positum putabis et sensui satisfiet, et metro, scribendumque erit:

Ἴξορκος ἐπέσσεται ἐξηκοντάκι δ' ἀμφοτέρωθεν
 ἀδύγλωσσοι βοὰ κάρυκις ἐσλαῶ.

Vides hic etiam ancipitem syllabam in prioris versus fine: nam γ' omittunt Ald. Gott. Par. A. Mosc. A. Aug. B. Bodl. Ms. Bo!! α. Cygn. Guelph. Leid. A. B. et hand dubie Ciz. aliique. Ant. 4. vulgo legitur ὀρμαίνων ἔλαβεν Βελλεροφόντας: recte Ald. Gott. Par. A. Mosc. A. Aug. B. habent ἔλε. Igitur haec est vera scriptura:

ἦτοι καὶ ὁ καρτερός ὀρμαίνων ἔλε Βελλεροφόντας,
 Φάρμακον πρὸ τείνων ἀμφὶ γένυι.

At str. 4. ex iisdem libris leges:

κοιτάξατο νύκτ' ἀπὸ κείνου χρήσιος: ὡς τέ οἱ αὐτὰ
 Ζηνὸς ἐγχεικράϊνου καὶς ἔπορεν.

Ant. 3. ante vocem πατρός vulgo legitur μὲν, contra usum sermonis; μὲν omittit Gott. et Aug. B. In Guelph. idem deletum est; Schol. vet. δὲ habet: Aldinam ceterosque libros hoc loco ipsa interpolatio insedit. Vera lectio. est:

ἐξείχετ', ἐν αἴστω Πειράνας ἀφετέρου πατρός ἀρχαῶν
 καὶ βαθὺν κλάρον ἔμμεν καὶ μέγαρον.

str. 3. articulus τὸν ante γάμον abest a Gott. et Aug. B. et melius profecto. Itaque scribe:

καὶ τὰν πατρός ἀντία Μήδειαν θεμέναν γάμον αὐτῶ,
 καὶ σώτειραν ἄργοι καὶ προπέλαις.

Ant. 2 μὲν post τρεῖς omittunt Gott. Aug. B. Par. A.; alii, ut Rom. et Mosc. B. Aug. A. μὲν, Bodl. γ. μήν. Hermannō ob sequens principio epodi δὲ verum videbatur μέν. Sed hoc cum libris delendum: ἔργον apud Homerum habet digamma. Lege igitur:

ταύτου κρανααῖς ἐν Ἀθάναϊσι τρία ἔργα ποδαρκῆς
ἀμέρα θῆκε κάλλιστ' ἀμφὶ κόμαις.

Iam str. 2. ex libris legendum:

πεντάθλων ἅμα σταδίου νικῶν δρόμον ἀντεβόλησεν
τῶν ἀνῆρ θνατὸς οὐπω τις πρότερον.

Ant. 1. vulgo est εἰν ἀέθλοισιν, quamquam εἰν nusquam dixit
Pindarus, nisi in composito εἰνάλιος. Ald. Gott. Par. A. Aug.

B. Bodl. γ. habent ἐν ἀέθλοισι. Scribe:

ἄκραϊς ἀρεταῖς ὑπερελθόντων ἱεροῖς ἐν ἀέθλοισι,
πολλὰ δ' ἐν καρδίαισι ἀνδρῶν ἔβαλον.

Supersunt versus str. 1.

Δίκαι καὶ ὁμότροπος Εἰράνα, ταμίαι ἀνδράσι πλούτου,
χρύσειαι παῖδες εὐβούλου Θέμιτος.

Sed hic locus non eget emendatione; potius enim ultima syl-
laba vocis ταμίαι coalescit cum prima in ἀνδράσιν, Attica illa
synizesi ne ab Homero. quidem aliena. II. α, 277. Πηλείδη,
ἔθελ' ἐριζέμεναι. ε, 446. ἢ εἰσέκεν, ρ, 89. ἀσβέστω οὐδ' υἷον.
Odys. ζ, 375: ὦ ἀργύρωτε, α, 224. εἰλαπίνη ἢ γάμος, et fre-
quenter Ἐνυαλίω Ἀργυροφόντη. V. censorem Wolfianae Homeri
editionis L. L. p. 126, Inprimis etiam δὴ coalescit cum sequente
vocali, ut Odys. ο, 477. ἀλλ' ὅτε δὴ ἔβδομον ἡμεαρ. Quis igi-
tur mirabitur, si in dactylicis Pindarus eadem usus est liber-
tate? Sic Isthm. VIII, 11. 12. ἢ ὅτ' est contractum, Pyth. XI,
84. ἄτα εἰ, ubi ex Rom. legendum:

Ξυναῖσι δ' ἀμφ' ἀρεταῖς τέταμαι. Φθονεροὶ δ' ἀμύνονται
ἄτα. εἴ τις ἄκρον ἐλὼν ἀσυχᾶ τε νεμόμενος αἰνὰν ὕβριν,
et cetera. Grammatici autem versus, in quibus synizesis ad-

missa est, ob imperitiam corrumpere plurimos, ut Ol XIII, 72.
 οὐ ψεύσομαι ἀμφὶ Κορίνθῳ, Σίσυφον μὲν πυκνότερον παλάμαις ὡς θεόν.
 Recte optimi libri Gott. Par. A. οὐ Σίσυφον μὲν, repetita ne-
 gandi particula noto grammaticis usu, ex quo corrigendum
 censeo Pyth. III, 190.

ὄλβος οὐκ ἐς μακρὸν ἀνδρῶν ἔρχεται,
 οὐ, πολὺς εὖτ' ἂν ἐπιβρίσασις ἔπηται.

Porro Nem. V, 36.

εἰ δ' ὄλβον ἢ χειρῶν βίαν ἢ σιδαιρίταν ἐπαινῆσαι πόλεμον δέδοκται,
 μακρὰ μοι

αὐτόθεν ἄλμαθ' ὑποσκάπτει τις· ἔχω γονάτων ἐλαφρὸν ὄρμαίν,
 in libris Ald. Rom. Par. B. credo et Aug. C. reperitur δ' αὐ-
 τόθεν. Hoc est δὴ αὐτόθεν; sic δὴ initio versus positum Ol. III,
 45. sed ubi synizesin patitur, passim scriptum est δ', ut apud
 Homerum, μὴ δ' οὕτως, ἀγαθός περ ἔων, de quo dixit censor
 I. c. 134. et in nostro, quem supra explicui, loco, ἐξηκου-
 τάκι δ' ἀμφοτέρωθεν, ubi quam apta sit haec particula, exem-
 plis Hermannus demonstravit. Quemadmodum vero apud Ho-
 merum prima in ἐθέλω semel cum praecedente longa vocali
 synizesin facit, sic Pindarus saepius hoc admisit, Ol. II, 176.
 λαλαγήσασσι ἐθέλων, Pyth. X, 9. Ἴπποκλέα ἐθέλοντες, Isthm. VI,
 63. θυμῷ ἐθέλων: quibus omnibus locis nunc legitur θέλω.
 Sed neque Homerus; neque Pindarus utantur verba θέλω.
 Itaque apud Nostrum Nem. X, 157. scribendum est duce
 Schmidio, αὐτὸς Οὐλύμπου κατοικῆσαι ἐθέλεις, et Isthm. VIII,
 62. ἄλοχον εἰσιδέ' ἐθέλων, et sic ubicunque brevis vocalis ante
 vocem θέλω occurrit, illa abiicienda, et forma ἐθέλω repo-

XXVIII

nenda est. Ita Pyth. I, 121. cod. Aug. suppeditat ἐθέλοντι. Corruptions inde convincitur Pyth. II, 128. ἐν Αἰολίδασι χορδαῖς θέλων: ubi lege ἐκάν, ut bis invenio in scholiis, hoc est ἄσμενος. Sic Ol. XIII, 136. Pyth. IV, 165. Hesychius: ἐκάν· θέλων, βουλόμενος; et similia passim apud glossographos. Pertinent haec minutula ad orthographiam poetae, in qua non mediocris opera futuro editori collocanda est, ut textus ad genuinam Pindari dialectum propius accedat; ut quaedam formae, e. c. ἦκω, prorsus, aliae, ut ἐκεῖνος, atque eiusmodi plures, certis locis expellantur; ut apostrophorum et augmentorum ratio magis constet; ut ne mensura syllabarum, et versuum amplius laborete sed in nonnullis ea res, satis spinosa et exilis taediique plena, tantis septa est difficultatibus, ut eam desperem umquam esse quemquam prorsus expediturum.

Gratias nunc agamus Deo Optimo Maximo, qui suam clementiam in unoquoque nostrum tot quotidie beneficiis spectatam, hoc quoque nomine voluit huic academiae expertam esse, quod preces nostras religiosissimas, pro salute **MAGNIFICENTISSIMI RECTORIS, CAROLI FRIDERICI, MAGNI DUCIS BADARUM**, quotannis fundi solitas, ita exaudivit benivole, ut rei publicae votis ex hoc loco denovo nuncupandis nihil reliquerit optandum, nisi ut iis, quibus eum auxit, muneribus, **AUGUSTO PRINCIPI** frui liceat tamdiu, quam sua passura sint consilia, eaque ipsa sint vel diutissime. Quidquid enim sive animi sive fortunae bonorum in orbis terrarum praesides supremum numen cumulare potest, in **ILLUM** videmus collatum esse uberrime; qui natus antiquissima ducum Zaringicorum gente, in civitate mediocri, sed satis opulenta, et quod maius est, civibus optimorum principum, quibus parebant, amantissimis moribusque modestis eximie florente, in adolescentia est artibus (rarum in principe) perfecte institutus: vir gubernandae rei publicae optissimus, consilii plenus, laboriosus, affabilis, iuxta parcus

atque splendidus, maritus ac pater optimus felicissimusque, severus numinis virtutisque cultor, aequissimus subditis iudex ac dominus, litterarum stator munificus, denique omnibus, quotquot ornant vitam mortalium, animi ingeniique dotibus insignis. Nec defuerunt exterae felicitates: magnorum regum et imperatorum affinitas: promoti in extrema senectute terrarum fines: aucta imperii dignitas: sapientiae ac bonitatis fama per orbem volitans. Quid igitur superest, quod EI apprecemur, quum coelum, quod aiunt, digito attingat? Acclamandum profecto beatissimo seni Pindaricum illud:

ὕψις δ' εἴ τις ὄλβον ἄρδεις

ἔξ ἀρχῶν κτεάτεσσι καὶ εὐλογίαν προστιθείς, μὴ ματεύσῃ θεὸς γενέσθαι,
et quod ibidem legitur:

*ἐπιταρπόμενον φέρειν γῆρας εὐθυμῶν ἐς τελευτῶν
υἱῶν πατρὶ παρισταμένων.*

Eadem vero felicitas, hoc est, interprete Cicerone, honestarum rerum prosperitas, contingat AUGUSTO MAGNO DUCI HEREDI, nepoti et collegae imperii, atque universae domui Augustae nominique Badensi, postremo huic universitati litterariae, quae quum ceterae Germaniae, tum patriae nostrae studiis consulit tam fructuose.

Sed quam liberalem AUGUSTUS PRINCEPS, humanissimorum consiliis amicorum usus, litteris impendat curam, quum ex omnibus, quotquot de studiis regnandis sanciantur, legibus, tum inde potissimum cognoscas, quod, quum exterae scholae indigenis antehac essent interdictae, nunc quidem decretum est, ut, ubicunque vellent, claris magistris dare

operam iis liceret: quae res eo nos maiore affecit laetitia, quod ceteras quoque Germaniae civitates, perspectis iis malis, quae ex sublata studiorum libertate serius ocius nascuntur, nobilia exempla speramus secuturas. Nam quod putant nonnulli, damnosum hoc Civitati fore, si iuvenes studiosi extra patriam in discendas litteras opes erogarent, hoc quam sit absonum, quis est, qui non perspiciat? Quid enim? merces quotidiano usui necessarias ex alienis regionibus importare liceat; doctrinam, et rei publicae utilissimam, et singulis vita ipsa cariorum, non liceat? In his vero terris etiam aequior fuit ea lex, quod in nostram academiam tanto undique numero peregrini confluent, ut his destitutae maior civium pars deficeret. Itaque hoc quoque in nostrarum rerum incrementum est egregie institutum, nec poterit unquam huius artium sedis detrudere dignitati, quamdiu in pristino permanebit flore. Quidni autem permaneat, **MAGNIFICENTISSIMI RECTORIS** aucta beneficiis, saluberrimisque legibus nuper conditis temperata prudentissime?

Iam de libellis sollertiae palmam ab **AUGUSTO PRINCEPE** propositam ambientibus lata singulorum ordinum iudicia nobis sunt renuncianda: in quibus utemur iisdem fore et sententiis et verbis, quae a spectatissimis collegiis accepimus tradita. Et *Theplogiae* quidem professores superiore anno voluerant, „*Ut locus de baptismo exponeretur exegetice et historice, ac monstraretur, qua ratione ex instituto Christiano nostra aetate esset tractandus.*“

Sed nulla oblata est Ordini commentatio. Causas exquirere longum est, Nam neque rei difficultas ea erat, quae post doctissimorum hominum studia superari non potuisset, nec librorum deerat copia, quorum notitiam Ordo in scholis, usum bibliotheca suppeditabat academica. Ac quum profecto haud facile quemquam auditorum ab rei tractatione deterrere poterit virium infirmitas: nempe doctiores in iis et fuerunt et nunc sunt: praeter timiditatem ab ingenui iuvenis indole haudquaquam abhorrentem ac contractum studii academici tempus nulla prorsus comparet causa.

Agite dum, Commilitones, colligatis animos, quos novae attendatis quaestioni Vobiscum communicandae. Quippe hac postulamini,

„Ut sacramenti notionem vere Christianam explicitis accuratius, habita praesertim ratione doctrinae Catholicorum ac Protestantium.“

Jureconsultorum collegium hanc proposuerat scribendi materiam:

„Ius disparagii in terris Foederi Rhenano adscriptis; ita ut expositis primum summatim principiis et virorum doctorum opinionibus pro novissima conditione Imperii in Germania Romani, deinceps ratio imprimis haberetur principum tum supremorum tum subiectorum, comitum item ac nobilium.“

Unus tantum exhibitus est libellus, inscripto symbolo: *Non tam turpe est vinci, quam contendisse decorum.* Non desunt in eo, quae a severo iudice merito reprehendantur. Nonnulla

namque omisit auctor, quae accuratius perpendenda erant: ita in decantato capitulationis Caesareae de disparagiis loco in causas legis non indagavit, atque in iure Foederis Rhena- ni explicando singularum civitatum constitutiones leviter ad- modum tractavit. Praeterea alibi, ut in variis iureconsulto- rum de disparagii notione sententiis recensendis ordine usus est minus perspicuo et rectae rationi parum congruo. Postre- mo sermonis nitorem nimium quantum neglexisse, neque ab ipsis vitiis satis sibi reperitur cavisse. Tamen quia tum assi- dua diligentia neque infelici successu in explicanda proposita quaestione versatus est, tum ingenii acumen atque haud vul- garem in iure civili eruditionem comprobavit: eiusmodi spe- cimen, a iuvene non docendi, sed discendi et exercendarum virium causa inter cetera studia elaboratum, omnibus nume- ris absolutum esse non posse, perpendens Ordo, auctorem praemio iudicavit haud indignum. Resignata hoc ipso die pro concione schedula comparuit nomen:

GEORGIUS LUDOVICUS MAURER,

HEIDELBERGENSIS.

In proximum annum commendatur civibus.

„Historia iurium, quae ex Romanorum placitis sunt patri li- beris intestato defunctis superstiti in bona eorum, ita quidem enarranda, ut tam ius in peculia liberorum, quod antiquitus vi patriae potestatis obtinuit, quam ius succedendi civili iure, edicto Praetoris et Imperatorum decretis stabilitum pertractetur, et quatenus iis in novissimo iure locus sit relictus, diligenter exponatur.“

Medicorum ordo quaesiverat:

„Quaenam est vis, quae dicitur, nervea in corpore animalis? Quid est, quod eam differat a vi vasorum? Eademne ea per totum corpus grassatur, an vero diversa est in singulis partibus organismi animalis, in encephalica, sensoria et motoria? an ea organa vitae gubernat et moderatur, ac quamam ratione? Anne natura eius experimentis galvanicis et chemicis, praesertim op. Voltaicae, columnae instituendis, indagari potest? Anne in morbis nervea vis vasorum viribus substituitur? Fitne hoc in aegroti perniciem, an in levamen aut salutem? Postremo quando et quibusnam conditionibus evenit alterutrum?“

Ex binis, quae ordinis iudicium subierunt, commentationibus, altera distincta hoc symbolo, *In arduis audere iuvat*, ita brevis, imperfecta et inconcinne scripta est, ut ad praemii laudem ne accedere quidem posse videretur: altera, quae notatur tessera hac, *Opinionum commenta delet dies, veritatem firmat*, diligenter elaborata est, singulosque quaestionis locos recte distinxit, et praecipue discrimen, quod statuendum est inter vim vasorum organicam et nerveam vim, probe notavit, omninoque physiologicam partem satis accurate absolvit. Sed pathologicam, curandis morbis longe utilissimam, imperfectam reliquit auctor. Ita illa quaestionis pars, an vis nervea vasorum viribus in morbis substituitur, tantum non omnino neglecta, ac nonnisi in transitu tacta est ibi, ubi de typho agitur, atque ita quidem, ut in aegroti perniciem fieri hoc dicatur: sed de iis morborum formis, ubi automatica vires animalibus succurrunt, ubi illae his ad aegroti le-

vamen iunguntur, aut ubi evenit contrarium, nihil invenitur quidquam. Tamen quum reputasset Ordo, tantam esse propositae quaestionis difficultatem, ut mirum videri non possit, si non in omnibus rebus Collegio satisfecerit auctor, hunc ipsum praemio constituit ornare, ornavitque, resignata chartula,

ALEXANDRUM HAINDORF,
HAMMENSEM GUESTPHALUM.

Iam in sequentem annum *Medicinae* professores hoc proponunt:

„*In persanandis capitis laesionibus utrum frigida praestent in calida fomenta, quum adhuc ambiguum sit apud chirurgicae artis peritos, postulat Ordo, ut singula recenseantur genera, in quibus frigida cranio in quibusque calida adhiberi consentaneum sit, idque respectu potissimum triplicis status morborum, compressionis, commotionis et inflammationis encephali; neque in eo acquiescit Ordo, ut una vel altera laudetur ratio, sed causas quoque huius iudicii vult aperiri.*“

Postremo *Philosophorum* ordo ex *mathematica* disciplina ante annum proposuerat hoc:

„*Euclidis Elementis quum varia problemata et theoremata inseri queant, quae ex ipsius propositionibus sovi quidem ac demonstrari, non tamen sine acumine ac sollertia possint: Ordo postulat, ut in illis colligendis et disponendis, adiacendisque resolutionibus ac demonstrationibus geometriae studiosi concucio- nis periculum faciant.*“

Quae oblata est, una commentatio, inscriptam habet tes- seram hanc: *Scribimus indocti doctique. De qua ita iudicandum*

censuit Ordo. Nempe quum postulari nequeat, praesertim in mathematicis, ut scriptis de praemii laude concertantibus ipsi doctrinae nova affundatur lux, sed ut ii, qui ad eiusmodi studium adiecerint animum, industriae et ingenii edant specimina: non dubitavit Philosophorum collegium praemio afficere eum, qui partim diligenti satis delectu plures congesserit geometrarum propositiones, quae vel perito artis, nisi curatius attenderit, possint aliquamdiu molestiam adspargere, partim a se inventas addiderit novas, quae Euclidis elementis insererentur, haud profecto indignas visas; quique eas explicuerit solerter, concinne, perspicue, deductis ex ipso Euclide argumentis. Quamquam fatendum, neque ab erroribus liberum esse auctorem pluribus, neque a negligentiae culpa in quibusdam demonstrationibus in se admissa, nonnullaque ita tractasse, ut ab Euclideae ratione geometriae prorsus descisceret. Inprimis autem Latinus sermo tot est festinationis inquinatus vestigiis, ut, si forte typis excudendam commentationem tradere auctor statuat, hoc ne faciat prius, quam eam a capite ad calcem retractarit, non postulare non possit Ordo.

Huius commentationis, reclusa schedula, comparuit auctor

GEORGIUS LANGSDORF,

HEIDELBERGENSIS.

Ex politica vero scientia cum Ordo delegisset quaestionem satis gravem,

„*Quid interesset inter veterum coloniarum formam et rationem, ac novarum post Americam detectam condita-*

rum, et quanam mutationes Europae civitatum nexus et conditio inde passa esset,

nullum tulit responsum.

Tandem ex antiquitatis studiis placuerat Ordini,

„*Ut inquireretur accuratius in scenicae poeseos Graecorum origines nondum in clara luce positas, quo tempore, loco, quibus occasionibus, quibus rebus f.venibus, ex quibus carminis generibus, quibus auctoribus, singulae eius partes provenissent, quibusque incrementis auctae adolevissent ad aetatem eius perfectionis, quam Socratis temporibus habuisse videmus: appendicis loco breviter additis, si libuisset, iis casibus, quibus afflictae postea iacuisent.*“

Auctor unius, quae Ordinis iudicio subiecta est, commentationis, insignitae verbis Aristotelis, *Ἀρξάμενοι κατὰ Φύσιν πρῶτον ἀπὸ τῶν πρώτων*, dignus est philosophiae professoribus visus, qui palmam referret in medio omnibus positam, de qua cum praemii aemulis pluribus, sed nimia inconstantia inceptam viam mature omittentibus, contenderat generose. Et is quidem nobile argumentum diligenter, copiose, erudite, nec non ingeniose tractavit, novis quin etiam aliquot illustravit inventis: qui, si in quibusdam rebus versatus esset cautius, si ab Richardo Bentleio, ingentis sagacitatis viro, discere maluisset quam dissentire, si veterum scriptorum nonnullos locos, ut Herodoti narrationem de Sicyoniorum tragicis choris in Adrasti honorem actis, melius esset interpretatus, postremo si tragoediam, cuius vera origo haud eum latuit, a mysteriorum sanctitate duxisset alienam, plurimis libelli sane quam

haud absurdi partibus album Ordo poterat adicere calculum; nisi quod sermone auctor usus est adeo rudi, adeo vitioso, adeo inculto incomptoque, ut barbariem potius quam probo utriusque linguae studio subactum redoleat ingenium. Quapropter iuveni cetera docto et acuto, quem ob rerum et sententiarum praestantiam ubertatemque laude sua noluit defraudare, idem, quod geometricae commentationis auctori, suadet Philosophorum collegium; atque hac oblata occasione declarat, *qui in argumentis ad historiam et antiquas litteras pertinentibus sint apud sese in certamen descensuri, iis, si nolint spe excidere, ante omnia opus esse dictione pura et eleganti.* Sed reclusa schedula victor renunciatus est

GUILIELMUS MÜLLER,

SPIRENSIS.

Superest, ut promulgentur ternae a *Philosophorum ordine* in proximum annum propositae quaestiones, ex quibus prima est haec ex *historia*,

. Ut in vetustissimarum, quae extant, legum Germanicarum, Salicae, Ripuaricae, Baiovaricae, Alemannicae, Langobardicarum et reliquarum, inquiratur originem et auctorem; ut eadem leges inter se comparentur, quaeque sit peculiaris cuiusvis ex illis indoles et natura, doceatur; denique ut ex his legibus ea omnia commemorentur atque illustrentur, quae ad cognoscendos populorum, quibus scriptae sunt, mores facere possint;“

altera ex loco de *rebus publicis*, ad quam quum proximo superiore anno responsum non sit, placet Ordini, ut angusti-
 bus finibus limitata repetatur verbis his:

„*Explicitur ratio coloniarum Ionicarum, praesertim quae in Asia deductae sunt, omissis iis, quae ad historiam Graecorum universam pertineant; quo singularum civitatum origines, opes, rei publicae status ac vicissitudines pateant, et necessitudo monstretur, quae universas inter se iunxerit; coloniarum autem ex illis oris profectarum adumbratio exhibeatur;*“

postremo tertia ex oeconomicis haec:

„*Ex Muschenbrockii, Parentii, Buffonii, Duhamelii, Girardi et aliorum libris colligantur et novis conatibus augeantur experimenta, quibus materiae ac lignorum aedificiis machinisque construendis idoneorum exploretur cohaerentia, ratione potissimum habita aetatis lignorum ac siccitatis ex pondere specifico inveniendae; deinde, quoniam, quo durabilior est materies, eo habetur praestantior, exquiratur eorundem durabilitas pendens e facultate variis reactionibus chemi-
 cis resistendi; postremo ostendatur, quibus usibus unaquaeque materiae species nata sit, quibusque remediis corroboretur ac duretur;*“

ac quod iis, qui ad solvendam oeconomicam quaestionem sese conferrent, semel permissum est, ut vernaculo sermone aequè uterentur ac Latino, id quidem ius iterum conceditur in eodem argumento.

Hactenus haec. Ceterum quum prioribus annis exteri potissimum iique partim longinquis e terris ad nos profecti,

XL.

Bavari, Guestphali, Borussia, Hungari, praemii fructum essent adepti, ex indigenis autem hucusque tantum unus; nunc laetamur nostratum ac vicinorum plures tenuisse metam. Qui ut patriae nobisque perpetuo honori, ac litteris sint ornamento, etiam atque etiam optamus vehementer.

